



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 24. Plurium Pontificum conatus in emendando Calendario.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1582. pter Synodus ita decidebat: *anathema sit, si quis Christum humana natura spoliaret, qui cum idem Deus, idem etiam est verus homo, & divinam habet a Patre suo jam inde ab omni æternitate naturam, & humanam sumpsit ex Matre definitis temporum spatiis: ibidem quoque statuitur, Cophotos, quamquam duarum abstineant naturarum appellatione, non tamen negare, quod Christus sit Deus, & homo, sed ab ea loquendi ratione illos idcirco refugere, ne consuetudo ipsa loquendi duas inducere videatur hypostases.*

Ceterum hæc Synodus nonnisi prima Februarii die anno sequenti absoluta est.

## §. XXIV.

*Plurium Pontificum conatus in emendando Calendario.*

*Paul. Jov. in elog. 149. Ricciol. chr. ref. Blondel. hist. des Calend. Rom.* Cum longo temporis progressu adeo crassi, atque enormes errores in Calendarium irrepsissent, ut festa haud amplius debito tempore celebrarentur, necnon Paschatis solemnitatis, quæ tempore inter plenilunium, ac postremam primi mensis lunaris lunationem, seu lu-

veritas fuit dilucidata, sed semper ex affectato concordiae studio schismata, novæque sectæ fuerunt exortæ.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1582.

lunam decrescentem occurrere debeat, quandoque ad secundum mensẽ Lunarem devolveretur, ac temporis progressu in solstitium æstivale, demum in Autumnum, imo etiam in hyemem incideret, hinc summi Pontifices, atque Episcopi hosce errores emendandi necessitate compulsi hac de re in Constantiensi, & Basileensi Concilio agere decreverunt, irrito tamen successu: equidem Alliacensis Cardinalis in Constantiensi, & Cardinalis Cusanus in Basileensi Synodo sat erudite ad promovendam hanc, quæ maximi momenti res erat, Calendarii Romani correctionem calamos suos exercebant, cum autem ad tanti moliminis opus vel opportunitas, vel animus Nicolao V, & Pio II. deesset, eapropter Sixtus IV. serio huic negotio insudare decrevit, hancque in rem ex Germania Romam celebrem Mathematicum nomine Joannem de Montereio accersebat, eumque Ratisbonensem Episcopum nominabat: verum hoc Viro præmatura morte erepto totum negotium a pluribus Pontificibus ad suos successores remittebatur, donec Leo X. hac de re in Lateranensi Concilio agere decreverat: verum nec id tum effectui datum; quippe duntaxat celebriores Europæ Astronomi sollicitabantur, ut exactos calculos

*Hist. Eccles. Tom. L.*

D

los

Sæcul XVI.  
A.C. 1582.

los conficerent, atque correctionis normam conciperent, cujus ope præfati Concilii Patres hoc negotium perficere possent: ex his præcipuus erat Paulus Middelburgus Fossebrunensis Episcopus, qui quædam opuscula a se hac super re exarrata exhibebat, quin tamen quicquam decideretur: ceterum postquam prima Tridentini Concilii promulgatio fuerat facta, rursus invitabantur Doctores, ut discusso hoc argumento illius decisionem magis expeditam redderent, huicque operi præcipue insudabant Joannes Sepulveda Cordubensis, Joannes Franciscus Spinola patria Mediolanensis, Benedictus Maggiorinus, Lucas Guaricus, aliique, qui hanc in rem plura edebant opuscula; verum præfata Synodus fuerat incæpta, continuata, atque absoluta, quin tamen hæc controversia dirimeretur, quippe totum negotium ad sacram Sedem devolvebatur.

§. XXV.

*Gregorii XIII. studium de emendando Calendario.*

*Thuan. l. 76.* **R**egnante insuper Pio IV. & Pio V. malum magis adhuc augebatur, nec  
*Blondel. l. 2.*  
*c. 1. Et suiv.* quisquam remedium opponere audebat: tandem vero Gregorius XIII. hanc tot annis expetitam correctionem aggre-

gredie-